



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Dormi Secvre: Vel Cynosvra Professorvm Ac Stvdiosorvm Eloquentiæ,

in qua Centvm Et Viginti Themata Oratoria. Non Solvm Stvdiosis, Sed &
Professoribus eloquentiæ, ac pietatis veræ amantibus utilissima &
pernecessaria explicantur ; Cum Indice rerum atq[ue] verborum locupleti

Tympe, Matthäus

Coloniæ Agrippinæ, 1650

XXVI. Laus Catechesis Christianæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38994

XXVI. LAUS CATECHESIS
Christiana.

IN EXORDIO commendabis R. R. ac optimè de Ecclesia Christi meritos Patres ac professores Soc. Jesu aliosq; viros pios, quòd tanto cum zelo Catechesin Christianam passim jam in Germania, multoque magis in Italia, Gallia, Hispania, Polonia, & in Indiis tradunt. *Vide P. Ioan. Bussum in Virid. Virg.*

PROPOSITIO: Te Auditoribus, quanta sit huius doctrinæ nobilitas, necessitas, ac utilitas, breviter explicaturum.

CONFIRMATIONIS I. Locus à nobilitate Catechesis Christianæ, quæ desumitur ex nobilitate doctrinæ Christianæ. Constat autem doctrinam Christianam excellentiorem esse omnibus doctrinis, inde à condito Orbe traditis, sive auctorem eius spectemus, qui est Christus Jesus, Filius Dei, homo factus, *in quo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ* Col. 2. v. 3. *fuere reconditi,* sive spectemus **MATERIAM,** & 2.

quæ in ea pertractatur: nam **PRIMÒ** agitur in ea de rebus supernaturalibus & divinis, quæ omnem humanæ intelligentiæ captum excedunt, ut de SS. Trinitate, de Christo Incarnato, de Sacrosancta Eucharistia, de sanctis. Sacramentis, de prædestinatione nostra ad vitam æternam ante conditum mundum peracta, de Resurrectione mortuorum, de felicitate perpetua nostra & Angelorum, de omnibus Dei Legibus, donis, & virtutibus, ac demùm de omnibus, quæ in veteri æquè ac novo testamento explicantur. Hæc enim omnia in Catechesi, velut in compendio vel breviario quodam continentur.

Ita quidquid generatim in laudem doctrinæ salutaris in S. Bibliis dicitur, id ad præconium catechesios pertinet, ut quod Salomon de ea dixit in proverbii: *Accipite Disciplinam meam & Prov. 2. 10.*

non pecuniam; doctrinam magis, quam aurum pretiosissimum, & omne desiderabile ei non potest comparari, & Ecclesiasticus: Ornamentum aureum prudenti doctrina, & quasi brachiale in brachio dextero.

s. 21. v. 24.

Rom. 1. v. 29.

Et S. Paulus de doctrina Evangelica: Non erubescio Evangelium: virtus enim Dei est in salutem omni credenti, &c.

SECUNDÒ: Quidquid in encomium verbi Dei vel scripturæ sacræ in Bibliis dicitur, ut est illud, toties in utroque testamento repetitum: Verbum Dei manet in æternum: illud Salomonis

Luc. 20.

Prov. 30. v. 5

Psal. 17.

& II.

Omnis sermo Dei ignitus, clypeus est sperantibus in se, & Psalms Regii: Eloquia Domini, eloquia casta, argumentum igne examinatum, probatum terra, purgatum, septuplum.

TERTIÒ: Quidquid in commendationem Legis dicitur: Christus enim non venit in mundum aboliturus Legem, sed perfecturus. Maxima autem Legis encomia & elogia habemus in Psalms Regis Davidis, ut in 18. Lex Domini immaculata, convertens animas: testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis. Iudicia Domini vera justificata in semetipsa, desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum multum, & dulciora super mel & favum. Idem certè scopus est Legis & Catechesis nostræ: ut enim olim Legis beneficio homines cognoscebant; quando peccarent, vel delinquerent, (unde Paulus) Peccatum non cognovi, nisi per Legem, &c.) sic nunc beneficio Catechismi rudiores discunt, quando peccent.

Matth. 5.

v. 17.

Rom. 3. v. 31.

Rom. 7. v. 7.

Ioan. 10.

Heb. 5.

Tit. 1.

1. Tim. 3.

1. Cor. 4. 3.

Denique non parum dignitatem huius Institutionis illustrat, quod in Scripturis passim, qui eam tradunt, appellantur Pastores, Sacerdotes, Presbyteri, Ministri Dei, dispensatores mysteriorum Dei, cooperatores Dei, Doctores, Prophetæ, Evangelistæ, Episcopi, Pontifices, Apostoli, Angeli, Dii: Deus enim Exod. 7. Moysen constituit Deum Pharaonis.

1. Tim. 3.

Psal. 2.

II. *Locus à necessitate Catechesios Christiana,* quam confirmam omnia quæ, in ea traduntur, ut sunt in primis Fidei dogmata, quorum notitia eò magis hoc ævo necessaria est, quò plures ab hæreticis pervertuntur, & in Tartarum præcipitantur. *Sine fide enim,* inquit Apostolus ad Hebr. c. ii. v. 6. *impossibile est placere Deo.*

Deinde, Divina Scriptura hortatur nos ad hanc doctrinam, velut ad salutem necessariam, Prov. 3. v. 2. 33. c. 19. v. 29. c. 22. v. 18. Syr. 6. v. 35. c. 8. v. 1. eademque Scriptura graviter inculcat eos, qui doctrinam omnem notitiamque pietatis repudiant. Job. 21. v. 11. Prov. 17. v. 16. Isaias Prophetiam suam ab hac reprehensione inchoavit, v. 3. Denique si nulla ars, nulla scientiæ est, vel unquam fuit, quæ non necessario requirat doctorem; hæc sola doctrinæ Christianæ scientia, omnium præstantissima, & ad salutem necessaria, doctorem & magistrum non postulabit?

III. *Locus ab utilitatibus,* quarum PRIMA sit, quod Christianum populum vindicet ab innumeris erroribus & hæresibus hoc tempore grassantibus. SECUNDA, quòd aditum in utroque sexu, maximè autem fœmineo, præcludat veneficiis, aliisque curiosis superstitionibus. Nec enim alia certior causa est, cur in quibusdam provinciis omnia plena sint sagarum & magorum, quàm quia homines ab ineunte ætate in doctrina Christiana ritibusque sacris Ecclesiæ non rectè sint instituti. TERTIA, quòd ea Instituto efficiat, ut homines ducant vitam Christiano homine dignam, præceptisque Dei & Ecclesiæ consentaneam. QUARTA, quòd in iis, qui libenter eam, & Conciones omnes sacras audiunt, & auditas præstant, sit admodum probabile signum æternæ prædestinationis, uti S. Bernard. probat ex dicto Christi apud B. Joannem: *Qui ex Deo*

Vide Hier. ad Paulinum ep. 103.

Serm. 5. de Septuag. Ioan. 8. v. 41.

est, verba Dei audit. QUINTA, quòd omnes Doctores institutoresque aliorum excellens maneat remuneratio in cœlis. Divini enim oraculi Dan. 22. v. 5. vox est: *Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, &c.* Et Christi, Matth. 5. v. 20. *Qui, &c.*

In EPILOGO monebis Auditores, ut de parvulis studeant bene mereri, eorumque animos ad pietatem formare: quia Magister noster & Princeps præceptorum Christus parvulis se perquam familiarem exhibuit, hos ad se adduci iussit, venientes ultrò amplexus est, & amicè osculatus. His suas ipse manus imposuit, ac benedixit: his ministros & custodes Angelos deputavit, hos demum cœlestis regni cives, & præ aliis hæredes quasi proprios fecit. Adde quod pœnam illi gravissimam interminatus, si quis unum è parvulis, sive in fidei doctrina, sive in vitæ moribus scandalizet: & quod in parvulos collatum beneficium, adeò sibi gratum fore pronuntiat, ut quicumque illius nomine parvulum susceperit, Christum ipsum suscipiat, habeatque perpetuum debitorem.

XXVII. PARÆNESIS AD CHARITATEM PROXIMI.

Vide P. Ioan.
Busæum in
Virid. Virt.

Matth. 22.
v. 37.
Marc. 12.
v. 32.

IN EXORDIO ostendas ex cap. 5. v. 22. & 6. v. 12. *Matthæi*, cum, qui odium aliquod fovet in corde, non solum non posse uti sanctissimis Sacramentis; sed nec unicam Dominicam Orationem sine mendacio recitare. Christus enim ait c. 5. *Si offers, &c.* & in Oratione Dominica 6. iussit nos dicere: *Et dimitte, &c.* qui autem odium fovet in corde, non dimittit debitum proximo, ideoque mentitur.

PROPOSITIO: Ne igitur ab usu Sacramentorum excludamur, & dicto mendacio nos coinqui-